



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

175 Absolutus à casibus reservatis, quae habent annexam
excommunicationem, in mortis articulo, si incolumis evadat, superiorem
adire tenetur aliàs &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

testatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generalis idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent pro expressis habens, quò ad ea, quæ præmissis aduersantur, illis aliàs in suo robore permanentibus ea vice duntaxat, specialiter, & expressè derogavit, contrariis quibuscunque non obstantibus, *ut in posteriori decreto Romæ sub die 26. Novembris 1602. edito impresso, & locis publicis affixo. Quo remouetur omnis difficultas, an sufficienter fuerit derogatum, quia motu proprio, & ex certa scientia, de Apostolica potestatis plenitudine fuit derogatum, & clausula, motu proprio, hoc casu tollit subreptionem, cap. si motu proprio, de præben. in 6. clem. si Romanus Pontifex, & ibi gloss. final. & Abb. num. 2. eod. tit. Felyn. in cap. ceterum, n. 9. de rescrip. Lap. alleg. 7. in fin. & Gabr. com. concil. de claus. lib. 6. concl. 2. num. 1.*

Derogatur enim omnibus privilegiis, & litteris in contrarium quomodolibet facientibus, cum clausula, quorum tenores pro expressis habent, quæ clausula præcipuè in litteris, motu proprio concessis appositata operatur, ut totus tenor eorundem privilegiorum, & litterarum, quæ pro expressis habita fuerunt, censea-

tur expressus, & specificatus, Buttr. communiter receptus, in *conf. 2. col. 1. ver. his tamen non obstantibus* Gomel. *super regul. Cancell. decis. 10. num. 2. & Gabriel. de claus. eodem, lib. 6. conclus. 5. num. 1.*

174 Absolutiones tamen verò contra formam Bullæ Cœnæ Domini; & dicti decreti factæ sunt etiam nullæ, nulliusque roboris, vel momenti, *ut in eodem decreto, §. præterea, quia excommunicatus absolvi non potest, nisi à potestate habente, & est communis opinio, de qua per Tabien. in verb. excommunicatio, 7. num. 13. excepto mortis articulo, de quo in eadem Bulla Cœnæ Domini, & decreto proxime citato.*

175 t Sed tunc, si casus reservati habent annexam excommunicationem, vel absoluitur quis ab eadem excommunicatione, & efficiatur incolumis, tenetur pro absolutione superiorem adire, aliàs in eadem excommunicationem reincidit, *cap. eos qui, de sentent. excommunic. in 6. & Graff. decis. aur. par. 1. lib. 1. cap. 13. num. 90. & per se ipsum, vel procuratorem ad Papam accedereteneretur. Navar. in cap. 27. n. 113. & Graff. eadem par. 1. lib. 4. cap. 230 num. 1. & 2.*

176 Consulere tamen propterea eorum conscientia debent confessarii, qui parùm curant, pro posse in præmissis animarum salutis consulendo providere; & videant Navar. qui inquit, quartò demerari me, quòd cum tot has censuras incurrant, tamen pauci tamen confessarii locorum, ubi hæc aguntur, eas pro dignitate extiment, & eas incurrentibus absolutionem denegent, & tamen pauci Episcopi, qui excommunicatas, & interdictas personas & terras